nimis βεισαγωγικόν, si captum vulgi specto. At si conferre mihi consilia detur cum viris Musicæ non imperitis, vix est de hujus instituti successu ut sinistre sperem. meæ certè inscitiæ hactenus nulla potior ratio occurrit, quâ sacro textui sua Majestas constet, et illæsum sit τὸ θεῖον ἀεδὲς, quod quam pernicioso exemplo hactenus aut supinè negligatur, aut pronè polluatur ut sic dicam, tute arbitrare, Nobilissima Domina, et longum vale. Hagæ. Non: Dec: CIƆIƆCLX.

vere tuus
C. Hugenius Z.

Siquando tibi otio tuo in gratiam
veteris amici, abuti libeat, quæso te
ut tot Characterum, quot tu stupendâ
manu specimina designare soles
Tabellam mihi quoque inter κειμήλια
Musæi mei asservare liceat.
Domino Voetio quod per te liceat
Salutem Plurimam ~~dicito~~ defero, et ipsi quoque
hac dissertatiuncula, ut sapiat, si tanti est
ut inspiciat, scire aveam

Roberto Keuchenio.

Roberto Keuchenio.
V. C.
Constantinus Hugenius
S. P.

(471)

In ea qua te commentatum narras illustrando Frontino, Vir Clarissime, facile auguratus quanti essent, lusi quo vides Epigrammate, non eo quidem digno ut tecum prodeat, sed ejusmodi qualia ferè amicorum preces aut mandata excudere Musa meæ solent, parum certè conatibus meis obsequenti, Nisi se moneat suâ sponte. Argumento sit ipsum hoc σχεδίασμα, cujus si te tædeat, gradiri solitum, ut nuper docuisti, altiore cothurno, infectum puta; Vino tuo tam vendibili tam arentem hederam si non suspendis, facies quod æquum est, et me quidem valdè volente: modo recorderis quidquid hic peccatum est, tuo jussui imputandum. Vale Vir Clarissime et me ama.
.. .. .. Dec: 1660.

(472)

Westerbanio.

Negari hoc non potest, Vir Nobilissime, censendum te inter humanissimos et gratissimos Patriæ cives, utpote qui non cessas